

599


VITAM  
VIRI ILLUSTRIS MAGNIFICI  
ET  
CONSULTISSIMI  
IOHANNIS ANDERSONII

U. I. D.  
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS  
CONSULIS  
SPLENDIDISSIMI MERITISSIMIQUE


POSTQUAM  
D. XII IANUARIi ANNO MDCCXC  
TRANQUILLO FINE SOLUTUS ERAT  
*PIAE MEMORIAE CAUSA*

EX  
AMPLISSIMI SENATUS DECRETO

PUBLICE EXPONIT  
MARTIN. FRIDERIC. PITISCUS  
L. L. O. O. PROFESSOR P. BIBLIOTHECAE PUBLICAE PRAEFECTUS PRIMUS  
ET EO ANNO GYMNASII RECTOR.



HAMBURGI  
LITTERIS CAROLI WILHELMI MEYN, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII  
ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.



Civitatum publicae salutis summus rerum humanarum arbiter, quae eius egregia et cognita est tam benignitas, quam sapientia, quovis modo quod consulit: vel eo dilucide declaratur, quod in omnibus gentibus et civitatibus semper quidam eminent, qui virtute, qui consilio et praeclare factis non sibi suisque, sed Deo vivunt patriaeque. Idem ad rem publicam accedere iussi, cum ipsorum bene constituta iuventus id firmum senectuti corpus tradidit, quod maximi momenti rebus tractandis in plures annos subsistat: civitati, in eorum virorum prudentiam et fidem, omnia cara sibi et ampla quae contulit, de felicitate sua laete fidenterque gratulemur. Praevalent enim in ista civitate, efficacia recti bonique amantium exempla: haec imitari discunt, qui ante incerti, inter proposita virtuti praemia et pravitatis illecebras vacillaverant: in latebras aufugit effrenis caterva: virtutis cultores rerum summa potiuntur, et recte iam gloriari licet; quales summi in civitate viri, tales etiam cives.

Quo

## IV

Quo circa patriae nostrae gratulemur de hac praecipua felicitate, quod tam nostra quam maiorum aetate plures Consularis ac Senatorii Ordinis Viros vidit observanterque coluit, quos ex ipsorum summa virtute, ex praecclare ab iis administrata re publica tanti aestimavit, ut, et grande tantorum virorum aevum multum diuque prorogatum, et eorundem placide obdormientium memoriam, grata recordatione et decenti pietatis officio celebratam esse, perciperet.

Eodem venerationis cultu omnes boni profecuti sunt Magnificum quondam et Illustrem IOHANNEM ANDERSONIUM, Quem vergente quidem, sed haut vacillante aetate, gravi Consulis munere ea animi corporisque alacritate fungi viderunt, ex qua ipsis firma spes est iniecta, quod Venerandis intra decennium vix elapsum, quos animo oculisque cernebant Consulibus, annis meritisque gravibus foret annumerandus.

Sed spes fallaces, et tristes rerum humanarum vicissitudines! Cuius consortio per aevum frui, Quem salutare, colere, venerari speraverant, Is, ac si infausto casu offensus esset, quod morbo vehementius irruente extinctus est, acerbius iustusque sunt conquesti.

Huius post fata Venerabilis Viri vita pulcherrime acta, imitatione etiam atque etiam digna, quo et posterorum menti perpetue obversetur; decrevit Nobilissimus Senatus, ut ea literis consignarem, quibus doceretur magnum ANDERSONIO extincto exemplum quod amisimus. Benigne mihi mandatum recipiens, ne illa colorate afferre viderer, quae neglectis pigmentis, insito nitore magis grata sunt: ad eorum testimonia attendi, qui multis abhinc annis cum ANDERSONIO Senatore, Consule erant versati; et hanc unam omnium vocem percepi. Imaginem Viri iam primo conspectu et alloquio omnibus cari; in Quo nihil unquam fucati; in Cuius indole, moribus, factis tanta vis virtutis erat; in Quo diligendo, honorando omnes consenserunt; animo comprehendere, ante oculos pone!

Hoc Virorum probatae fidei de Venerando ANDERSONIO testimonium, scripto explicare studebo, et in eo praesertim afferam: qualem Is prima aetate, indolem Ipsius conformantibus Sen praebuit; qualem virili aetate, et eo praesertim aevo; quo Eum magistratus honore ornatum, cives adierunt: Quod iam a teneris et per viridem aetatem, nobile ANDERSONII Nobri ingenium et egregia virtus enituit, vel me tacente, omnes perspicerent reminiscentes, quod patre Magnifico quondam et Illustri IOHANNES ANDERSONIO U. I. D. Republicae Hamburgensis iam ab anno MDCCII a. d. XIIX Octob. Secretario; et post sexennium, anno MDCCXIX a. d. XIX Novemb. Syndico; dein anno MDCCXXII a. d. V Februarii Consule Splendidissimo Meritissimo, matre, omni sexus sui virtute

virtute ornatissima MARGARETA VON LENGERKE natus est. Aerae Christianae anno MDCCXVII a. d. XXX Septembris. Curae et fidei horum parentum traditus, in Eorum confortio rerum divinarum, quare et boni relique amoru affuetus, et praesertim a Patre ad bonarum literarum et Iurisprudentiae studia est ductus. Etenim Hic quot quantisque distineretur negotiis, tamen effecturus, ut Ipsi filius non modo bonus et patriae amans civis foret, sed etiam idoneus, qui eius salutem consilio et opera praestita servare et augere sciret: toto pectore, in arcto quidem otii usu, verum efficaci exemplo filii educationem et institutionem curavit. Cuius singulas partes ut crebra animadversione perspicere posset: exploratae eruditionis et fidei viros selegit, qui statim tempore filii animum morum sanctitati decorique assuefacerent, ingenium bonis literis acuerent. Hoc disciplinae domesticae modo effectum est, ut ANDERSONIUS Noster, Qui non solum docilitate et ingenii bonitate ea affectus erat, quorum cognitione, opera in addiscendam Iurisprudentiam conferenda minuitur; sed Cuius etiam spectata iam erat morum integritas, suavitas et constans prudentia: iam Ipse vitae Suae modum habere posset. Igitur Venerabilis Pater certa spe sollertiae Suae maturos nitentesque fructus praecipiens, dilectum filium anno huius saeculi XXXIX tradidit institutioni summi nominis Iurisconsultorum, ad quos disciplinae causa, eo tempore adolecentes numero plurimi Halae Saxonum convenerunt. Hic in N. H. Gundlingii, I. G. Heineccii, I. H. Boehmeri scholis frequens, singularum Iurisprudentiae partium scientiam ea sollertia comprehendit, ut ad summos in utroque iure honores aspirare posset, quos Ultrajecti a. d. VI Octobris anno MDCCXLI cepessivit, refutatis ante argumentis, quae dissentientes attulerant contra disputationem inauguralem; "de meliorationum atque impensarum usuris." Eodem et sequenti anno iter per utriusque Belgii et Galliae regiones et urbes eo consilio fecit, ut quodcumque in earum forma regiminis, moribus, ritibus, re bellica et nautica, literarum studiis, mercatura, agricultura, observatu imitatuque dignum, curate perspiceret, memori pectore notaret.

Ex hoc itinere in patriam rediit, quam primum in conspectum principum in hac urbe virorum venit, eorum de Ipso conceptae spei quovis modo satisfecit, dignusque est declaratus, ad rem publicam qui accederet: id quod evenit cum Nobilissimus Senatus munus Secretarii, quod Illustris FABER, iam Syndici dignitate ornatus sustinuerat, anno MDCCXLIX a. d. IX Septembris ANDERSONIO tribuit. In hoc gradu per omnem vitae Suae decursum, uti quidam eodem munere olim functi, lubens substitisset. Verum, nondum elapso triennio, omnibus bonis consalutantibus, superiorem gradum ascendere iussus est anno MDCCCLI a. d. XXV Ianuarii sorte ducta Senator renuntiatus, non minuto negotiorum onere, sed aucto. Sunt enim omnia munera Viro, cui

cui locus in confessu Nobilissimi Senatus assignatur tanti momenti, ut omnes nuper electo gratulantes, non possint non cogitare et dicere: vide quantum Tibi tribuitur! quae Tibi expectatio est constitutura! Recte quidem: cum eo consilio novus Senator creatur, ut et Hoc simul operante stabiliatur praesidium communibus fortunis constitutum. Igitur Eidem tribuitur, quod vera civium commoda iam dudum cognovit, perspexit: quod praesentia tueri; quod nova, praesertim quae momenti sunt, ut addantur, summa animi attentione, constantia et sancta fide curare velit, possit. Haec paucis expressa, quam ardua sunt? in nostra tantae amplitudinis urbe, tot civibus, tot aliis perpetuis incolis, tot hospitibus repleta, iisque diversae indolis hominibus; quorum alii patriae peramantes, alii huic quidem studio non adersantes, eiusdem tamen eo momento sunt immemores; quo eius salutem suis rationibus officere arbitrantur. Quot inde? quam gravia? et saepius ingrata negotia nascuntur, quis est qui prorsus ignoret? qui ne quidem ex divulgante fama percipiat? singulis in Senatu confidentibus Illustribus Viris, quod pro publica, quare et pro singulorum civium salute conservanda, stato tempore continua munia delegantur, nec non alia, quae et complura, et haut praevisa. Omnia illa et singula, per diductum quadraginta annorum spatium, ANDERSONIO demandata munera, iuxta annorum seriem indicavisse: nonnullis hoc scriptum lecturis, videretur opus esse nimiae, ergo et ingratae sedulitatis. Sed iidem quod ratum habebunt, indicata esse munera et negotia, de quibus susceptis et absolutis, plures gratulandi causas aequae et recte sentientes habuerunt, persuasum mihi est.

Primum, mihi quidem videtur, hoc indicandum esse: Amplum Rossiae imperium incolentes quicumque salutem publicam appetebant, summi et infimi ordinis homines, ut imperii summa potiretur, anno MDCCLXIII mense Julio vocaverant CATHARINAM II. AUGUSTISSIMAM. Huius enim tota vita quod virtus, Huius animus ut maiestatis, ita et summi consilii quod capax esset, qui iam dudum mirabundi cognoverant: iidem summa animi fiducia praeviderant, quod imperante CATHARINA omnia ipsis fauste feliciterque eventura essent, quae per longam annorum seriem cumulate quod evenerunt, constat.

Ob hanc magnam laetamque rerum suarum commutationem, ingentis gaudii lucem Petropolin, et omnem Rossiam perfundi, quam primum nuntius est allatus: AUGUSTISSIMAE IMPERATRICI, qui laeta regiminis auspicia et splendidam fortunam venerabundi gratularentur, legatos mittere decrevit Nobilissimus patriae nostrae Senatus. Susceperunt hoc et grave et honorificum munus Illustres Viri, FABER Syndici, et ANDERSONIUS Senatoris dignitate ornati. Iter emensi laetantem Petropolin Qui intraverant, hoc summo studio egerunt, ut ad AUGUSTISSIMAM CATHARINAM II. in summo Imperatoriae potestatis fastigio consistentem, publico civitatis nostrae

nostrae nomine literas devotae mentis testes perferendi venia daretur. Data est haut prorogato tempore, et definito die AUGUSTISSIMAE IMPERATRICE de praemio ipsius virtuti soluto, de plausu populorum Ipsa imperante tranquillos et fortunatos se praedicantem, et verbis ut debitam, ita et integram animi sui submissionem testantibus sunt gratulati; et, quae EIUS est clementia, Hamburgum ut respicere velit, demississime petierunt, firmumque animi propositum, AUGUSTISSIMAE IMPERATRICE MAIESTATI, quae congruentia ac grata essent, meditando ac praestandi declaraverunt.

Haec qua eximia benignitate AUGUSTISSIMA IMPERATRIX accepit, vel coniectura perspexerunt, quibus innotuit; quod quavis die, AUGUSTISSIMAM salutantium coetui indicta, aditus et in ea conclavia, solius Imperatoris usui quae destinata sunt, Legatis Hamburgensibus patuit, et quod Regimini Imperatorii Administri, se illis maximo opere faventes praebuerunt.

Pro tantis continuis summae benignitatis tesseriis, sibi patriaeque suae valde honorificis, cum coram AUGUSTISSIMA animum clementiae et beneficiorum memorem, ad gratias devotissime et obsequiosissime referendas maxime paratum Legati declaravissent: prius Petropoli quam abirent, ex mandato AUGUSTISSIMAE IMPERATRICE splendida illis dona sunt allata; numi in memoriam Coronationis distributi aurei, argentei, et vestes pelliceae magni pretii. His honoris insignibus ornati, iter in patriam comparaverunt, et mense Novembrii confecerunt, cuius recordatio Iphis et hoc nomine magis grata erat, quod per id temporis spatium arctius nexum est, quo iam dudum iuncti erant mutuae benevolentiae vinculum.

Patriae fopes redditus ANDERSONIUS, per eius commoda curaturus, obiit inopia. Ipsi itato tempore delata. Iam ante iter in Rossiam susceptum, Ipsi anni MDCCLIX et sequenti obtigerat Praetura urbana, cui complura munia iuncta sunt. Hanc molestiam obseptam provinciam administrans, totus in eo fuit, litigantes ut inter se conciliaret, sententias suam cuique tribuendo ferret, ignoscendi causas cupide quaereret, mulctandi nequaquam, atque pervicacibus eo solum consilio gravis esset, ut mentes sanarentur. Quod secundo Praeturae anno, a. d. Martii VII ritu solemni confessum iudicii inferioris in nova aede iuxta curiam, verba ad Scabinos, et quoscunque ibidem apparere decet faciendo, auspiciatus est: commemoratum dignum quia quibusdam visum est, silentio premeri noluit. Anno MDCCLXI aulae materialiae cura, nec non potestas Praetoris in insulis inter Albim et Billam fuit, et vicinis quibusdam oris Ipsi est demandata. Fere omnia haec munia, sequenti anno commutata sunt cum exercitio iuris detractus et cognitione causarum, de quibus tam inter artifices, quam opifices disceptatur: addita etiam cura Quaesturae et Parochiae ad aedem S. Nicolai. Accessit anno MDCCLXVII quod

## VIII

tribunus cohortis civicae in Parochia ad aedem S. Petri nominatus est, et Praetor villarum in silvis sitarum, nec non agrorum Hammensium. Dein ab anno MDCCLXIX Illi primus in Ordine Senatorio locus datus est, et simul praefecturae Bergedorfensis, rei nauticae, nec non rei scholasticae perpetua et praecipua cura. 6.

Haec munia quod dexteritate, diligentia, prudentia, aequitate, gravitate praecellens, laboris, molestiae patiens obiit, uberius docent, quorum vitam ab Ipso actam penitus explorare, vel officii, vel alia iusta de causa interfuit. Certe omnes boni haec vota iugiter voverunt, ut ANDERSONIUM Consulis nomine, in hac civitate, amplissimo appellarent. Et fluxit iis ad omne hoc votum, cum post obitum Venerandi Consulis Nicolai Schubackii senio confecti, ANDERSONIUS, Cuius nomen tunc in numerum trium Nobilissimorum Senatorum, quorum unus forte iacta et decernente, in locum pie defuncti succederet, iam tertium erat relatum, hoc electionis ritu Consul est designatus et plaudentibus cunctis, qui patriae nostrae bene cupiunt, renuntiatus anno MDCCXXIII a. d. IV. Augusti. Hunc summum magistratum auspicanti, statim oblata sunt Praesidatus munia, quae Ipsi dein repetitis vicibus, annis huius saeculi, supra octuagesimum quinto, septimo, nono, eaque mixta curis negotiisque, pro patriae tranquillitate, incolumitate singulis diebus et horis, agendis, gerendis. Sunt Illi et alia Consulatus munia delata, v. g. Patronatus Parochiae ad aedem S. Nicolai, nosocomii in suburbio siti et S. Georgio olim dicati, utriusque ergastuli, mitioris et severioris, et alia quaedam.

In hoc summo honoris gradu constitutus, eundem se praebuit, quem per complures annos omnium ordinum viri, ipsique laudati digna laude prosecuti erant, qui Eum in omni ratione deliberandi agendi accurate diligentem, ordinis in rebus agendis quam maxime observantem esse viderunt, et hoc praesertim meditantem, procurantem, ut de patria incolumi, et conservata et fortunata laetaretur.

Verum, cum salus publica et hoc praecipue modo conservatur, firmatur, quo singuli cives eius prosperitatis sunt participes, qua domi frui datur: et ANDERSONIUS rebus Suis prospicere studens, anno MDCCXLIX a. d. XIII Maii, domum duxit omni sexus sui virtute ornatissimam Virginem, IOHANNAM GESAM spectatissimi Quindecimviri, WILHELMI MATTFELDT, ex MARGARETA ELISABETHA SCHELLERIA, filiam. Hoc connubium per quadraginta et tres annos mutuo amore, concordia et numerosa prole faustum fortunatumque fuit. Nam ex eo suscepti sunt

I. IOHANNES WILHELMUS NICOLAUS, natus anno MDCCL a. d. IX Iunii  
florescentibus hac aetate Oeconomiae practicae, et cum ea communi vinculo  
quae tenentur Historiae naturalis, Botanices, Physices disciplinis, harumque  
usui ingenium vitamque dicavit.

II. IOHANNES LUDOLPHUS, natus anno MDCCLI a. d. V Decembris, mercaturam prudenter et prospere exercet.

III. CHRISTIANUS DANIEL, natus anno MDCCLIII, a. d. XXVI Aprilis. Cuius praeclaras ingenii dotes, pulcrum eruditi nomen qui Ipse digne tuitus est Venerandus Pater, literarum studiis excolendas esse statuit. Quare, ut effectui daret, quod meditatus erat: curavit, ut optimae spei filius ductu probatorum virorum solidae doctrinae elementa catenus addiceret, ut clarorum virorum in prima classe Iohannei, in quo Rector et Conrector *I. Samuel* et *I. Martin Muelleri* ea aetate docebant, institutione uti posset. Hac docili animo usus, Gymnasio nomen dedit, et vividum ingenium assidue excolere studens, versatus est in cognitione Philologiae, Philosophiae, Matheseos et Historiae, nec non elementorum Iurisprudentiae, quas doctrinae partes *Buesch*, *Noelting*, *Wunderlich*, *Schuetze*, *Giseke*, Professores eo tempore docuerunt. In horum subselliis Qui per biennium confederat, laude ornatus Lipsiam anno MDCCLXXV abiit: ubi, quo magis praecultus Iurisprudentiae discendae operam dare posset, et ductu Praeclarissimorum Virorum, *Ernesti* et *Platneri*, animum ad Philologiam et Philosophiam iterum adiunxit, et ex *Boehmii*, *Segeri*, *Schottii*, aliorumque Doctorum institutione, Iuris publici privatique scientiam hausit. Hoc vitae tenore cum biennium exactum esset, Goettingam versus petiit. Hic annum implevit, Iuris publici, feudalis, germanici et canonici tam usum, quam scientiam, e lectionibus *Boehmieri*, *Puetterii*, *Meisteri*, *Selchowii*, *Becmanni*, *Claproti* discendo, ea quidem solertia et profectuam amplitudine, ob quam summis in Utroque Iure honoribus Eum ornavit Iurisconsultorum in Georgia Augusta Ordo, iam exploratum habens, quod contra dissentientium dubia tuiturus esset dissertationem inauguralem: "de iure quod competit primo locatori in subconductorem, occasione P. I. T. IX. artic. X. Statut. Hamburg." editam Goettingae, anno MDCCLXXIX. Huic primo eruditionis specimini, domum redux, quae est Eius eximia, tam patriae, quam orbi literato inserviendi solertia, plura addidit, praecipue ea, quae inscripta sunt: I. *Sammlung Hamburgischer Verordnungen*, cui anno MDCCLXXIV coeptae Syllogae, et in hunc usque annum continuatae, porro omnia addentur, quae momenti erunt. II. *Hamburgisches Privat-Recht*, cuius iam editis quatuor partibus Vir Amplissimus quintam brevi est additurus. Hanc iam videremus additam: si Ipsi licuisset per negotia iuncta gravi muneri Secretarii, quod Nobilissimus Senatus Illi anno MDCCLXXXIX a. d. XXVII Februatii honorifice demandavit. De quo insigni rerum prosperarum incremento Illi omnes eadem integra mente gratulati sunt, qua ante gratulati erant, cum anno MDCCXXCIV a. d. IV Martii tori sociam Sibi legeret, formae et morum decore lectissimam Virginem HANNAM MARIAM STAMPEEL, ex qua suscepit

- 1) *Iohannam Mariam*, natam anno MDCCXXCV a. d. XVII Martis, praematura morte extinctam anno MDCCXXCVI a. d. XXIX Novemb.
- 2) *Elisabetam Margaretam Marianam*, natam anno MDCCXXCVII a. d. IIX Septembris.

IV. CORNELIUS, natus anno MDCCLIV a. d. III Decemb. mercaturae operam studiumque suum dicavit.

V. MARGARETA ELISABETA, nata anno MDCCLVII a. d. XVI Augusti, denata eodem anno a. d. II Septembris.

Omnium egregiorum, prosperorum et iucundorum, cum haec semper est ratio, ut eorum finem aut nunquam videre, aut saltem interiecto longo



## X

longo intervallo, demum constitutum esse velimus: tum extremus Magnifici Consulis ANDERSONII dies, multum ac diu ut prorogatus esset, non modo Eius honoratissimae genti, sed etiam Reipublicae, hanc quotquot dignitate et virtute praecellentibus viris florere cupiunt, ex imo pectore sunt apprecati.

Erat quidem et post fata Venerandus ANDERSONIUS, quoad corporis formam, non proceritate et robore, sed honesta et placenti forma eminens, et visu gratus: sed multo magis animi morumque habitu. Etenim natura, disciplina et consuetudine ad humanitatem erat excultus, omnes Eum adeuntes, nam facilis erat aditu, vultu et sermone placato excipiens, cuius benignum se praebens et comem: nihil occultans aut simulans, sed in omni negotio tam veram fidem colens, quam consilio paratus et circumspectus. Quod non solum harum virtutum decore, quae et bonis beneque latentibus civibus laudi sunt, Venerandus quondam ANDERSONIUS enituit, sed etiam his, quibus splendet Vir amplissimo magistratu praeditus, ab iis praesertim annis innotuit, quibus ad Senatoris, et dein ad Consulis, dignitatem est euectus. Nam in hac luce versatus consilio et exemplo docuit, quod patriae, si quis alius amans pro eius publica, et singulorum civium salute, rebus, commodis conservandis, augendis summa cura et diligentia excubaret; quid agatur, consideraret, quid eventurum sit, praevideret: adeoque de omnibus bene meriturus, meditaretur, loqueretur, ageret. Hoc continuo virtutis exercitio quod excelluit, quod totus in eo fuit, ratio sita erat in doctrinae divinae intenso amore et admiratione, cui Eum immortalis memoriae Pater exemplo et educationis modo assuefecerat, quem et Ipse per omnem vitae suae decursum observavit. Etenim in coetu Christianorum divina effata et monita auscultantium, non solum frequens erat, sed etiam domi, modo otiosi liceret, libros illustrationis et confirmationis causa scriptos saepius legit. Et huic instituto diuturnaeque consuetudini tribuamus, quod omnis Venerandi ANDERSONII virtus vere Christiana esset, qua sola animus divina, aeterna sapiens, quicquid asperi et acerbi immineat, vis morbi et ipsa natura debile corpus si consumat, fiducia in Deum plenus servatur, omnemque doloris sensum hac certa laetaque spe retundit; quod ab eo momento, quo omnia in orbe terrarum grata et splendida relinquenda sunt, beatissimis in Deo consortio fruatur. "Sic Vir egregius, pro tenero corporis habitu satis valens, et alacriter etiam tunc officio suo fungens vixit, donec inopinato a. d. "XIX Decembris anno MDCCLXXXIX febre corripere, qua vires "mox ita labefactatae sunt, ut a. d. XII Januarii anno MDCCXC placide "diem obiret supremum." Utor, haec scribens ipsis verbis Viri Experientissimi multisque aliis nominibus Praecellentissimi Reimari Medic. Doctoris, cuius consilio et opera laxatus esset morbus, nisi corporis vires iam nimium fuissent fragiles, quibus penitus exhaustis anima praestantissimi

Con-

Consulis e terrenis ad coelestia est translata, cum vivendo explevisset annos LXXII, menses tres et III dies, Cui et de superstitionibus Merentissimo, a. d. XXI Ianuarii in aede ad S. Catharinam iusta sunt soluta. Finem prosperi connubii, ante XLII annos coepti Quae per tres hebdomadas angore agitata praevidit, moestissima iam Vidua, quod caret Coniuge prae primis digno, Qui tenerrimo amore afficeretur, gravi luctu et perpetua aegritudine dolentius deplorat. Ad leniendam eam, et ad retundendos quamvis iusti doloris stimulos quaecunque faciunt, qui iam largitus est Deus benignus, porro largiatur. Iam largitus est Deus, qui Pientissimae matri conservavit quatuor optimae indolis filios, vivos florentesque; qui id summo studio egerunt et agere pergent, ut viduitatis incommoda ab Honoratissima matre semoveant.

Patriae faventes, eosque de restituenda gravi iactura sollicitos, paucis diebus interiectis a. d. XXII Ianuarii exhilaravit laetus nuntius, quod Consul creatus Qui iam sexies Consularis dignitatis Candidatus fuerat, Vir Magnificus et Illustis FRANCISCUS ANTONIUS WAGENER, Iuris consultus praestantissimus, iam XXXVI annis, in administranda re publica, parato efficacique consilio diligentissimus, virtutis Christianae studio et solida eruditione praeclarus, Cuius Venerandi quondam Protoscholarchae in promovendis literatorum coeptis constantiam, liberalitatem, grato memorique animo, quoad vita fruar, recolam.

Integer paulo post redditus est Nobilissimorum Senatorum ordo, electo a. d. XXVII Ianuarii Viro Praecellentissimo Consulcissimo IOHANN. ARNOLD. HEISE, Quem legum scientia rectusque usus, eruditio, humanitas, dexteritas civibus iam dudum cognitum reddiderunt probatumque.

